



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 16. Metuendum illis vehementer, ne in ius adire, apud Deum, cogantur,
qui alios per catumniam malitiamq[ue] petunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

postea obmutuit: atq; , vt se sibi vatem fuisse ostenderet, illo adhuc ipso die, ad diuinum tribunal, ex vita hac est exturbatus. Quod sanè Rigæ, in Liuonia, Anno Christi 1407. euenit. Porrò Sirenula illa, quæ repudio furens, innocentis necem non parum promouit, vt & ipsa Numinis iudicia redderet illustriora, ab alio mercatore, de vero furto accusata, iudicio se suppliciòq; fuga subduxit, fortasse vt iudicium seuerius, suppliciùmque æternum sustineret.

§. XVI.

Metuendum illis vehementer, ne in ius adire, apud Deum, cogantur, qui alios per calumniam malitiàmq; petunt.

Quàm crebra est ista magnorum Dominorum praxis? quoties tales ab illis nuptæ ac nuptiæ prodeunt? quàm frequenter illos loco mouent, vitæque priuant, & omnibus fortunis exuunt, qui cum claros eos magis, quàm honestos, esse nôrint, eorum nequitij & impuritati cooperari noluerunt? Quot hodièque viuerent, & emerent, si teterrimi facinoris ministri, socij, adiutores esse voluissent? Quàm multi omnia diuina humanaque iura, nouo, inaudito, in-expiabili scelere polluant, nefariòque patriæ

triæ

trix se parricidio obstringunt? Quàm doctæ sunt artes, ad eos vexandos, in litem & iudicia trahendos, bonis fortunisque omnibus spoliandos, denique vel carcere, vel mœrore consumendos, qui iniquissimis dominorum sententijs subscribere detrectarunt? An non isti metuere debent, eiuscemodi innocentum prouocationes? an non meritò formidant pœnas Deo hominibusq; meritas debitasq; se persoluturos? architectos constituunt, condiciones ponunt, aureos montes promittunt; absolutis autem & ad fastigium perductis palacijs, mercedis loco, litigant, & magistratui operarios obijciunt, vt non solùm nihil expendere illis pecuniarum teneantur; sed etiam, ob occultum crimen, contra fidem datam, proditum, capite minuantur. An tales ad diuinum tribunal non prouocent? Immo an tales summus rerum arbiter non exaudiat? *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus. Quis poterit scrutarî vias eius? aut quis potest ei dicere? operatus es iniquitatem. Non plectit semper extra ordinem? at satis est, ad metum, plecti meruisse.*

*Iob. 36.
82.*

) : o : (

CA.